
L I B E R O C T A V U S.

A R G U M E N T U M.

PRÆFATIO in qua positus & figura ossium corporis humani indicatur. CAP. I. *De fractis ossibus.* SECT. I. Quibus signis ossa vitiata cognoscantur, quâque ratione currentur. SECT. II. Quæ sint ossium fractorum indicia, fissorumve quæ curatio. SECT. III. *De calvaria fracta.* SECT. IV. *De naso fracto.* SECT. V. *De auribus fractis.* SECT. VI. *De maxilla fracta.* SECT. VII. *De jugulo fracto.* SECT. VIII. *De costis fractis.* SECT. IX. Humerorum, brachiorum, femorum, crurum digitorumque fractorum curationes tum proprie, tum communes. CAP. II. *De ossium e sedibus suis emotione.* SECT. I. *De emotione communis.* SECT. II. *De singulorum ossium emotione.* 1°. *De maxilla.* 2°. *De capite.* 3°. *De humero.* 4°. *De cubito.* 5. *De manu.* 6°. *De palma.* 7°. *De digitis.* 8°. *De femore.* 9°. *De genu.* 10°. *De talo.* 11°. *De planta.* 12°. *De digitis.* 13°. *De iis ossibus quæ cum vulnere sedibus suis mouentur.*

P R A E F A T I O.

SUPEREST ea pars quæ ad ossa pertinet, quæ quo facilius accipi possit, prius positus figurasyne eorum indicabo.

Igitur *calvaria* incipit: ex interior parte concava, extrinsecus gibba, utrimque lœvis, & quâ

cerebri membranam contegit, & quæ cute capillum gignente contegitur: eaque simplex ab occipitio & temporibus; duplex usque in verticem a fronte est. Offa ejus ab exterioribus partibus dura, ab interioribus quibus inter se connectuntur, molliora sunt: interque ea venæ discurrunt, quas his alimentum subministrare credibile est.

Rarò autem calvaria solida sine suturis est; locis tamen astutosis facilius invenitur: & id caput firmissimum atque a dolore tutissimum est. Ex cæteris, quo suturæ pauciores sunt, eo capitis valesudo commodior est: neque enim certus earum numerus est, sicut nec locus quidem. Ferè tamen duæ super aures, tempora a superiore capitis parte discernunt: tertia ad aures per verticem tendens, occipitum a summo capite diducit. Quarta ab eodem vertice per medium caput ad frontem procedit; eaque modò sub imo capillo desinit, modò frontem ipsam secans inter supercilia finitur.....

Hic ea desunt quæ ad quintam suturam pertinent

Ex his cæteræ quidem suturæ in unguem committuntur: ex verò quæ supra aures transversæ sunt, totis oris paullatim extenuantur, atque ita inferiora ossa superioribus leniter insidunt.

Crassissimum verò in capite os post aurem est, quæ capillus, ut verisimile est, ob id ipsum non gignitur. Sub iis quoque musculis qui tempora contegunt, os medium in exteriorem partem inclinatum, positum est. At facies suturam habet maximam, quæ a tempore incipiens, per medios oculos naresque transversa pervenit ad alterum tempus.

A qua breves duæ sub interioribus angulis deorsum spectant : & malæ quoque in summâ parte singulas transversas suturas habent ; a mediisque naribus aut superiorum dentium gingivis per medium palatum una procedit , altera quæ transversa idem palatum secat . Et suturæ quidem in plurimis hæ sunt.

Foramina autem intra caput maxima oculorum sunt , deinde narium , tum quæ in auribus habemus . Ex his quæ oculorum sunt , recta simplicia que ad cerebrum tendunt . Narium duo foramina osse medio discernuntur : si quidem hac primùm a superciliis angulisque oculorum osse incohantur ad tertiam ferè partem : deinde in cartilaginem versæ quo propius ori descendunt , eo magis carunculâ quoque molliuntur . Sed ea foramina , quæ a summis ad imas nares simplicia sunt , ibi rursus in bina itinera dividuntur : alia ex his ad fauces pervia spiritum & reddunt & accipiunt , alia ad cerebrum tendunt . In ultimâ parte in multa & tenuia foramina dissipantur , per quæ sensus odoris nobis datur .

In aure quoque primò rectum & simplex iter , procedendo flexuosum fit . Juxta cerebrum in multa & tenuia foramina diducitur , per quæ facultas audiendi est . Juxta ea duo parvuli quasi sinus sunt , superque eos finitur os , quod transversum a genis tendens ab inferioribus ossibus sustinetur : *jugale* appellari potest , ab eadem similitudine a qua id Græci *ζυγωδες* appellant .

Maxilla verò est molle os , eaque una est , cuius eademi & media & etiam imam pars mentum est , a

quo utrimque procédit ad tempora; solaque ea mo-
vētur: nam malæ cum toto osse quod superiores
dentes exigit, immobiles sunt. Verùm ipsius ma-
xillæ partes extrémæ quasi bicornes sunt. Alter pro-
cessus infra latior, vertice ipso tenuatur, longius-
que procédens sub osse jugali subit, & super id
temporum musculis illigatur. Alter brevior & ro-
tundior, & in eo sinu qui juxta foramina auris
est, cardinis modo fit: ibique huc & illuc se in-
clínans maxillæ facultatem motūs præstat.

Duriores osse dentes sunt, quorum pars ma-
xillæ, pars superiori ossi malarum hæret. Ex his
quaterni primi, quia secant, τόμικοι a Græcis no-
minantur: hi deinde quattuor caninis dentibus ex
omni parte cinguntur: ultra quos utrimque ferè
maxillares quini sunt, præterquam in his, in qui-
bus tres genuini ultimi, qui serò gigni solent, non
increvérunt. Ex his priores singulis radicibus, ma-
xillares utique binis, quidam etiam ternis qua-
ternisve nituntur: fereque longior radix brevio-
rem dentem edit; rectique dentis recta etiam radix,
curvi flexa est: ex eâdem radice in pueris novus
dens subit, qui multo sæpius priorem expellit:
interdum tamen supra infrave cum se ostendit.

Caput autem *spina* excipit. Ea constat ex verte-
bris quatuor & viginti: septem in cervice sunt,
duodecim ad costas, reliquæ quinque sunt pro-
ximæ costis. Hæ teretes brevesque; ab utroque la-
tere processus duos exigunt: media perforatæ,
quæ spinæ medulla cerebro commissa descendit,
circà quæque per duos processus tenuibus cavis
perviae, per quæ a membranâ cerebri similes mem-
branulæ

branulae deducuntur : omnesque vertebræ , exceptis tribus summis , a superiore parte in ipsis processibus parum desidentes sinus habent ; ab inferiore alias deorsum versus processus exigunt . Summa igitur protinus caput sustinet , per duos sinus receptis exiguis ejus processibus ; quo sit ut caput deorsum versus parvis tuberibus exasperetur : secunda superiori parti inseritur . Quod ad circuitum pertinet , pars summa angustiore orbe finitur : itaque superior secundæ circumdata , in latera quoque caput moveri sinit : tertia eodem modo secundam excipit ; ex quo facilis cervicis mobilitas est .

Ac ne sustinéri quidem caput posset , nisi utrumque recti valentesque nervi collum continerent , quos *neōτας* Græci appellant ; si quidem horum inter omnes flexus alter semper intentus infra prolabi superiora non patitur . Jam quoque vertebra tercia tubercula quæ inferiori inserantur , exigit : cæteræ , processibus deorsum spectantibus , in inferiores insinuantur , ac per sinus quos utrimque habent , superiores accipiunt , multisque nervis & multâ cartilagine continentur : ac sic una flexu modico in promptum dato , cæteris negotiis homo & rectus insistit , & alioqui ad necessaria opera curvatur .

Infra cervicem verò summa costa contra humeros sita est : inde undecim inferiores usque ad imum pectus perveniunt , eaque primis partibus rotundæ & leniter quasi capitulatae , vertebrarum transversis processibus ibi quoque paullum insinuatis inhærent : inde latescunt , & in exteriorem partem recurvatæ , paullatim in cartilaginem degenerant ; eaque parte rursus in interiora leniter

flexæ committuntur cum osse pectoris : quod valens ac durum a faucibus incipit , ab utroque latere lunatum est ; a præcordiis jam ipsum quoque cartilaginem mollit ac terminat : sub costis verò prioribus quinque , quas Νοθες Græci nominant breves tenuioresque , atque ipsæ quoque paullatim in cartilaginem versæ extremis abdominis partibus inhærescunt ; imaque ex his majore jam parte nihil nisi cartilago est.

Rursus a cervice duo lata ossa utrimque ad scapulas tendunt ; nostri *scutula opera* , αποπλάτας Græci nominant. Ea in summis verticibus sinuata , ab his triangula , paullatimque latescentia ad spinam tendunt ; & quo latiora quâque parte sunt , hoc heberiora. Atque ipsa quoque in imo capite cartilaginea , posteriore parte velut innatant , quoniam nisi in summo nulli ossi inhærescunt ; ibi verò validis musculis nervisque constricta sunt.

At a summa costa paullo inferius quam ubi ea media est , os excrescit : ibi quidem tenue ; procédens verò , quo propius lato scapularum ossi fit , eo plenius latiusque est , & paullum in exteriora curvatum : quod (protinus) alterâ verticis parte modicè intumescens , sustinet jugulum. Id autem ipsum recurvum atque inter durissima ossa numerandum ; altero capite in eo quod posui , altero in exiguo sinu pectoralis ossis insidit ; paullulumque motu brachii moveretur , & cum lato osse scapularum : infra caput ejus nervis & cartilagini connectitur.

Hinc humerus incipit , extremis utrimque capitibus tumidus , mollis , sine medulla , cartilagineus : medium teres , durus , medullosus ; leniter

gibbus in priorem, posteriorem & interiorem, cavus in exteriorem partem. Prior autem pars est quæ a pectori est, posterior quæ ab scapulis; interior quæ ad latus tendit, exterior quæ ab eo recedit: quod ad omnes articulos pertinere in ulterioribus patebit. Superius autem humeri caput rotundius quam cætera ossa, de quibus adhuc dixi, vertici lati scapularum ossis parvo excessu inseritur, ac majore parte extra situm nervis deligatur. At inferius duos processus habet, inter quos quod medium est, magis etiam extremis partibus sinuatur.

Quæ res sedem brachio præstare, quod constat ex ossibus duobus. *Radius*, quem *ερυθρία* Græci appellant, superior breviorque, & primò tenuior, rotundior & leniter cavo capite exiguum humeri tuberculum recipit, atque ibi nervis & cartilagine continentur. *Cubitus* inferior longiorque, & primò plenior in summo capite, duobus quasi verticibus existantibus in sinu humeri quem inter duos processus ejus esse proposui, se inserit. Primò verò duo brachii ossa juncta paullatim dirimuntur, rursusque ad manum coëunt, modo crassitudinis murato; siquidem ibi radius plenior, cubitus admodum tenuis est: dein radius in caput cartilaginosum consurgens in verticem ejus sinuatur. Cubitus rotundus in extremo, parte alterâ paullum procédit. Ac, ne sèpius dicendum sit, illud ignorari non oportet, plurima ossa in cartilaginem desinere; nullum articulum non sic finiri: neque enim aut moveri posset, nisi laevi inniteretur; aut cum carne nervisque conjungi, nisi ea media quædam materia committeret.

In *manu* verò prima palmæ pars ex multis minutisque ossibus constat, quorum numerus incertus est; sed oblonga omnia & triangula: structurâ quadam inter se connectuntur, quum in vicem superior alterius angulus, alterius planicies sit; eoque fit ex his unus ossis paullum in interiora concavi species. Verùm ex manu duo exigui processus in sinum radii conjiciuntur: tum ex alterâ parte ad digitos quinque ossa recta tendentia palmarum explent; a quibus ipsi digitii oriuntur, qui ex ossibus ternis constant; omniumque eadem ratio est. Interius os in vertice sinuatur, recipitque exterioris exiguum tuberculum, nervique ea continent: a quibus orti unguis indurescunt; ideoque non ossi, sed carni magis radicibus suis inhærent.

Ac superiores quidem partes sic ordinatae sunt. Ima verò spina in coxarum osse desidit, quod transversum longèque valentissimum vulvam, vesicam, rectum intestinum tuerit: idque ab exteriore parte gibbum, & ad spinam resupinatum; a lateribus, id est, in ipsis coxis sinus rotundos habet: a quibus oritur os quod *peñinem* vocant; idque subter intestina sub pube transversum ventrem firmat: rectius in viris, recurvatum magis in exteriora in feminis, ne partum prohibeat.

Inde *femina* oriuntur, quorum capita rotundiora etiam quam humerorum sunt, quum illa ex cæteris rotundissima sint: infrà verò duos processus a priore & a posteriore quoque parte habent: dein dura & medullosa, & ab exteriore parte gibba; rursus ab inferioribus quoque capitibus intumescent. Superiora in sinus coxae, sicut humeri in ea ossa quæ

scapularum sunt, conjiciuntur: tum infrà introrsus leniter tendunt, quò æqualius superiora membra sustineant. Atque ideo inferiora quoque capita media sinuantur, quò facilius excipi a cruribus possint. Quæ commissura ossè parvo, molli, cartilaginoso tegitur: *patellam* vocant. Hæc super innatans, nec ulli ossi inhærens, sed carne & nervis diligata, paulloque magis ad femoris os tendens, inter omnes crurum flexus juncturam tuerur.

Ipsum autem *crus* est ex ossibus duobus: etenim per omnia femur humero, crus verò brachio simile est: adeo ut habitus quoque & decor alterius ex altero cognoscatur; quod ab ossibus incipiens, etiam in carne responderet. Verùm alterum os ab exteriore parte suræ positum est, quod ipsum quoque *Sura* rectè nominatur. Id brevius, supràque tenuius, ad ipsos talos intumescit: alterum a priore parte positum, cui *Tibiae* nomen est, longius, & in superiori parte plenius, solùm cum femoris inferiore capite committitur, sicut cum humero cubitus. Atque ea quoque ossa, infra supràque coniuncta media ut in brachio dehiscent.

Excipitur autem crus infrà ossè transverso talorum; idque super os calcis situm est; quod quâdam parte sinuatur, quâdam excessus habet, & procedentia ex talo recipit, & in sinum ejus inseritur. Id quoque sine medulla durum, magisque in posteriorem partem projectum, teretem ibi figuram representat. Cætera ossa pedis ad eorum quæ in manu sunt, similitudinem structa sunt: plantæ palmis, digitis digitis, unguibus, respondent.

C A P U T P R I M U M.

S E C T. I. Omne autem os , ubi injuria accessit , aut vitiatur , aut finditur , aut frangitur , aut foratur , aut colliditur , aut loco moveatur. Id quod vitiatum est , primò ferè pingue fit , deinde vel nigrum vel cariosum : quæ , supernatis gravibus ulceribus aut fistulis , hisque vel longâ vetustate vel etiam cancro occupatis , eveniunt.

Oportet autem ante omnia os nudare , ulcere exciso ; & , si latius ejus vitium est quam ulcus fuit , carnem subsecare , donec integrum os undique pateat : tum id quod pingue est , semel iterumve satis est admoto ferramento adutere , ut ex eo testa recedat ; aut eradere donec jam aliquid cruris offendatur , quæ integri ossis nota est : nam necesse est aridum sit id quod vitiatum est.

Idem in cartilagine quoque læsâ faciendum est : si quidem ea quoque scalpello radenda est , donec integrum id sit quod relinquatur : deinde sive os , sive cartilago rasa est , nitro bene trito respergendum est : neque alia facienda sunt , ubi caries nigritiesve in summo osse est. Ubi verò penitus os vitiatum est , id vel paullo diutius eodem ferramento adurendum , vel radendum est. Qui radit hæc , audacter imprimere ferramentum debet , ut & agat aliquid , & maturius desinat. Finis est , quum vel ad album os vel ad solidum ventum est. Albo finiri ex nigritie vitium , soliditate quadam ex carie manifestum est : accedere etiam cruris aliquid integro , suprà dictum est : si quando au-

tem, an altius descenderit utrumlibet , dubium est.

Nam in carie quidem expedita cognitio est : specillum enim tenue in foramen demittitur, quod magis minusve intrando, vel in summo cariem esse, vel altius descendisse testatur. Nigrities colligi quidem potest etiam ex dolore & ex febre : quæ ubi mediocria sunt, illa altè descendisse non potest. Manifestior tamen adacta terebrâ sit : nam finis vitii est , ubi scobis nigra esse desiit.

Igitur si caries altè descendit, per terebram purganda crebris foraminibus est, quæ altitudine vietum æquent : tum in ea foramina demittenda carentia ferramenta sunt, donec inde siccum os ex toto fiat. Simul enim post hæc & resolvetur ab inferiore osse, quodcumque vitiatum est, & is sinus carne replebitur ; & humor aut nullus postea return, aut mediocris.

Sin autem nigrities ad alteram quoque partem ossis transit, oportet excidi : atque idem in carie quoque ad alteram partem ossis non penetrante fieri potest. Quod totum vitiatum, totum eximendum est : si inferior pars integra est, eatenus quod corruptum est, excidi debet. Item sive capitis sive pectoris os, sive costa cariosa est, inutilis ustio est, & excidendi necessitas est.

Neque audiendi sunt qui, osse nudato, diem tertium exspectant, ut tunc excidant: ante inflammationem enim tutius omnia tractantur. Itaque quantum fieri potest, eodem momento & cutis incidenda est, & os detergendum & omni vitio liberandum est : longèque perniciosissimum est, quod in osse pectoris est ; quia vix, etiam si

recte cessit curatio , veram sanitatem reddit.

Exciditur verd os duobus modis : si parvulum est quod læsum est , modiolo quem Χονίκιον Græci vocant ; si spatiosum , terebris. Utriusque rationem proponam.

Modiolus ferramentum concavum teres est , imis oris serratum , per quod medium clavus ipse quoque interiore orbe cinctus demittitur. Terebrarum autem duo genera sunt : alterum simile ei quo fabri utuntur ; alterum capituli longioris , quod ab acuto mucrone incipit , deinde subito latius fit , atque iterum ab alio principio paullo minus quam æqualiter sursum procedit.

Si vitium in angusto est , quod comprehendere modiolus possit , ille potius aptatur : &c , si caries subest , medius clavus in foramen demittitur : si nigrities , angulo scalpri sinus exiguus fit qui clavum recipiat , ut , eo insistente , circumactus modiolus delabi non possit : deinde is habéna quasi terebra convertitur. Est quidam premendi modus , ut & foret , & circumagatur ; quia si leviter imprimitur , parum proficit ; si graviter , non mouetur.

Nequae alienum est instillare paullum rosæ vel lactis , quod magis lubrico circumagatur : quod ipsum tamen si copiosius est , aciem ferramenti hebetat. Ubi jam iter modiolo impressum est , medius clavus educitur , & ille per se agitur : deinde quum sanitas inferioris partis scobe cognita est , modiolus removetur.

At si latius vitium est quam ut illo comprehendatur , terebra res agenda est. Èa foramen fit in

ipso fine vitiosi ossis atque integri, deinde alterum non ita longè, tertiumque donec tactus is locus qui excidendum est, his cavis cinctus sit: atque ibi quoque quatenus terebra agenda sit, scobis significat. Tunc excisorius scalper ab altero foramine ad alterum malleolo adactus, id quod inter utrumque medium est, excidit: ac sic ambitus similis ei fit, qui in angustiorem orbem modiolo imprimitur. Utro modo vero id circumductum est, idem excisorius scalper in osse corrupto planus summam quamque testam levet, donec interdum os relinquantur.

Vix umquam nigrities, interdum caries per totum os perrumpit, maximèque ubi vitiata calvaria est. Id quoque vitii specillo significatur, qui depresso in id foramen quod infra solidam sedem habet, & ob id renitens aliquid invenit, & madens exit. Si pervium invenit, altius descendens inter os & membranam, nihil oppositum invenit, educiturque siccus: non quo non subsit aliqua vitiosa sanies; sed quoniam ibi, ut in latiore sede, diffusa sit.

Sive autem nigrities quam terebra detexit, sive caries quam specillum ostendit, os transit, modioli quidem usus ferè supervacuus est; quia latius pateat necesse est, quod tam altè processit. Terebrâ vero eâ quam secundo loco posui, utendum; eaque ne nimis inclescat, subinde in aquam frigidam demittenda est. Sed tum maiore curâ agendum est, quum jam aut simplex os diuidium perforatum est, aut in duplice superius illud, spatium ipsum; hoc, sanguis significat.

Ergo tum lentiūs ducenda habēna , suspendenda-
que magis sinistra manus est , & sāpius attollenda ,
& foraminis altitudo consideranda : ut quando-
cumque os perrumpitur , sentiamus , neque pericli-
tēmur , ne mucrone terebræ membrana lædatur :
ex quo graves inflammations cum periculo mortis
oriuntur.

Faetis foraminibus , eodem modo media septa ,
sed multo circumspectius excidenda sunt , ne fortè
angulus scalpri eamdem membranam violet , donec
fiat aditus per quem membranæ custos immitta-
tur : μενιγγορύακα Græci vocant. Lamina ænea
est , firma , paullum resīma , ab exteriore parte
lævis : quæ ubi demissa est , ut exterior pars ejus
cerebro propior sit , subinde ei subjicitur quod
scalpro discutiendum est : ac si excipit ejus angū-
lum , ultrà transire non patitur ; cōque & auda-
cius & tutiūs scalprum malleolo subinde medicus
ferit , donec excisum undique os eadem laminâ le-
vētur , tollique sine ullâ noxâ cerebri possit. Ubi
totum os ejectum est , circumradendæ lævandæque
sunt oræ ; & , si quid scobis membranæ insedit ,
colligendum. Ubi , superiori parte sublatâ , infe-
rior relicta est , non oræ tantum , sed os quoque
totum lævandum est ; ut sine noxâ postea cutis in-
crescat , quæ aspero ossi innascens protinus non
sanitatem , sed novos dolores moveret. Patefacto ce-
rebro , quâ ratione agendum sit , dicam , quum
ad fracta offa venero.

Si basis aliqua servata est , supèr imponenda sunt
medicamenta non pinguia , quæ recentibus vulneri-
bus accommodantur , suprāque imponenda lana suc-

cida oleo atque aceto madens. Ubi tempus pro-
cessit, ab ipso osse caro increscit, eaque factum
manu sinum compleat. Si quod etiam os adustum
est, a parte sanâ recedit; subitque inter integrum
arque emortuam partem caruncula quæ quod
abscessit, expellit; idque ferè quia testa tenuis &
angusta est, *λεπίς*, id est squama, a Græcis no-
minatur.

Potest etiam evenire, ut ex istu neque findatur
os, neque perfringatur; sed summum tantum col-
lidatur exaspereturque: quod ubi incidit, radi &
lævari satis est.

Hæc quamvis maximè sunt in capite, tamen
cæteris quoque ossibus communia sunt; ut, ubicum-
que idem incidet, eodem remedio sit utendum. At
quæ fracta, fissa, forata, collisa sunt, quasdam
proprias in singulis generibus, quasdam communes
in pluribus curationes requirunt: de quibus proti-
nus dicam, initio ab eadem calyri accepto.

SECT. II. Igitur ubi ea percussa est, protinus re-
quirendum est, num bilem is homo vomuerit;
num oculi ejus obcæcati sint; num obmutuerit;
num per nares auresve sanguis ei effluxerit; num
concederit; num sine sensu quasi dormiens jacue-
rit: hæc enim non nisi osse fracto eveniunt; atque
ubi incidérunt, scire licet necessariam, sed diffi-
cilem curationem esse. Si vero etiam torpor ac-
cessit, si mens non constat, si nervorum vel re-
solutio vel distentio secuta est, veri simile est
etiam cerebri membranam esse violatam; eoque
in angusto magis spes est. At si nihil horum se-
cutum est, potest etiam dubitari, an os fractum

sit : & protinus considerandum est , lapide an ligno , an ferro an alio telo percussum sit , & hoc ipso laevi an aspero , mediocri an vastiore , vehementer an leniter ; quia quo mitior iactus fuit , eo facilius os ei restitisse credibile est . Sed nihil tamen melius est , quam certiore id notâ explorare .

Ergo quam plaga est , demitti specillum oportet , neque nimis tenue , neque acutum , ne , quum in quosdam sinus naturales inciderit , opinionem fracti ossis frustra faciat ; neque nimis plenum , ne parvulae rimulae fallant . Ubi specillum ad os venit , si nihil nisi laeve & lubricum occurrit , integrum id videri potest : si quid asperi est , utique quam suturæ non sunt , fractum os esse testatur .

A suturis se deceptum esse Hippocrates memoriae prodidit , more scilicet magnorum virorum , & fiduciam magnatum rerum habentium . Nam levia ingenia , quia nihil habent , nihil sibi detrahunt : magno ingenio , multaque nihilo minus habituro , convenit etiam simplex veri erroris confessio , præcipueque in eo ministerio quod utilitatis causâ posteris traditur , ne qui decipientur eadem ratione , quam quis ante deceperus est . Sed haec quidem alioquin magni memoria professoris , uti interponeremus , effecit .

Potest autem sutura eo nomine fallere , quia æquè aspera est , ut aliquis hanc esse , etiam si simile est , existimet eo loco quo subesse hanc veri simile est . Ergo eo nomine decipi non oportet , sed os aperire tutissimum est . Nam neque utique certa sedes , ut suprà posui , suturarum est ; & potest idem , & naturaliter commissum & istu-

fissum esse , juxtave aliquid fissum habere. Quia aliquando etiam , ubi ictus fuerit vehementior , quamvis specillo nihil inventur , tamen aperire commodius est. Ac si ne tum quidem rima manifesta est , inducendum super os atramentum scriptorium est , deinde scalpro id deradendum ; nigritiem enim continet , si quid fissum est.

Solet etiam evenire , ut alterâ parte fuerit ictus , & os alterâ fiderit. Itaque si graviter aliquis percussus est , si mala indicia subsecuta sunt , neque eâ parte quâ cutis discussa est , rima reperiatur , non incommodum est parte alterâ considerare , num quis locus mollior sit & tumeat , eumque aperire , si quidem ibi fissum os reperiatur. Nec tamen magno negotio cutis sanescit , etiam si frustra desecta est. Os fractum , nisi succursum est , gravibus inflammationibus afficit , difficiliusque postea tractatur.

Rarò , sed aliquando tamen , evenit ut os quidem totum integrum maneat , intus verò ex ictu vena aliqua in cerebri membranâ rupta aliquid sanguinis mittat , isque ibi concrètus magnos dolores moveat , & oculos quibusdam obcæcit. Sed ferè contra id dolor est , & ea loco cute incisâ pallidum os reperiatur : ideoque id quoque os excidendum est. Quacumque autem de cauſâ curatio hæc necessaria est , si nondum satis cutis patefacta est , latius aperienda est , donec quidquid læsum est , in conspectu sit. In quo ipso videndum est , ne quid ex ipsâ membranulâ quæ sub cute calvariam cingit , super os relinquatur : siquidem hæc scalpro terebrisve lacerata , vehementes febres cum in-

flammationibus excitat : itaque eam commodius est ex toto ab osse deduci. Plagam , si ex vulnera est , talemente necesse est habeamus , qualem acceperimus : si manu facienda est , ea ferè commodissima est , quæ duabus transversis lineis literæ X figuram accipit , ut deinde a singulis procedentibus angulis cutis subsecetur

Inter quæ si sanguis fertur , spongiâ subinde in aceto tinctâ cohibendus est , occupandusque objectis linamentis , & caput altius excitandum. Neque id vitium ullum metum , nisi inter musculos qui tempora continent , affert ; sed ibi quoque nihil minus tutò fit.

In omni verò fisco fractove osse protinus antiquiores medici ad ferramenta veniebant , quibus id exciderent : sed multo melius est , antè emplastrum experiri quæ calvariæ caussâ componuntur. Eorum aliquid oportet ex aceto mollitum per se super fissum fractumve os imponere , deinde super id aliquanto latius quam vulnus est , eodem medicamento illitum linteolum , & præger ea succidam lanam aceto tinctam : tunc vulnus deligare , & quotidie resolvere , similiterque curare usque ad diem quintum. A sexto die , etiam vapore aquæ calidæ per spongiam fovere ; cæteraque eadem facere.

Quod si caruncula increscere coperit , & febricula aut soluta erit , aut levior , & cupiditas cibi reverterit , satisque somni accedat , in eodem medicamento erit perseverandum. Procedente deinde tempore , emolliendum id emplastrum adjecto cerato ex rosa facto , quò facilius carnem pro-

dūcat : nam per se reprimendi vim habet. Hac ratione sāpe rimæ callo quodam implentur , estque ea ossis velut cicatrix , & latius fracta ossa , si qua inter se non cohærebant , eodem callo, glutinatur , estque id aliquanto melius velamentum cerebro , quam caro quæ exciso osse increscit.

Si verò sub prima curatione febris intenditur , brevesque somni & iidem per somnia tumultuosí sunt , si ulcus madet neque alitur , & in cervicibus glandulæ oriuntur , si magni dolores sunt , cibique super hæc fastidium increscit ; tum demum ad manum scalprumque veniendum est.

Duo verò sub iētu calvariae pericula sunt , ne vel os findatur , vel medium desidat : si fissum est , possunt oræ esse compressæ ; vel quia altera super alteram excessit , vel eriam quia vehementer rursus se commisérunt. Ex quo evenit , ut humor ad membranam quidem descendat , exitum verò non habeat ; ac sic eam irritet , & graves inflammations moveat. At ubi medium desedit , eamdem cerebri membranam os urget , interdum etiam ex fracturâ quibusdam velut aculeis pungentibus. His ita succurrendum est , ut tamen quam minimum ex osse dematur. Ergo si ora alteri insedit , satis est id quod eminet , plano scalpro excidere ; quo sublato , jam rima hiat quantum curationi satis est.

At si oræ inter se comprimuntur , a latere ejus rimæ interposito digiti spatio terebrâ foramen faciendum est , ab eoque scalper duabus lineis ad rimam agendus ad similitudinem V literæ sic , ut vertex ejus a foramine basis ad rimam sit. Quod si rimæ

longius patet, ab altero foramine rursus similis sinus fieri debet; & ita nihil latens sub eo osse concavo est, abundeque exitus datur intus lacerantibus.

SECT. III. Nec si fractum quidem os desedit, totum excidi necesse est. Sed sive totum perfractum est, & ab alio ex toto recessit, sive circumpositæ calvariae inhæret; exigua parte ab eo quod naturaliter se habet, scalpro dividendum est: deinde in eo quod desedit juxta rimam quam fecimus, foramina addenda sunt: si in angusto noxa est, duo; si latius patet, tria: septaque eorum excidenda: & tum scalper utrinque ad rimam agendus sic, ut lunatum sinum faciat, imaque pars ejus intus ad fracturam, cornua ad os integrum spectent.

Deinde, si qua labant, & ex facili removeri possunt, forfice ad id factâ colligenda sunt, maximèque ea quæ acuta membranam infestant. Si id ex facili fieri non potest, subjicienda lamina est, quam custodem ejus membranæ esse proposui; & super eam quidquid spinosum est, & intus eminet, excidendum est: eâdem laminâ, quidquid deorsum insidet, attollendum. Hoc genus curationis efficit, ut quâ parte fracta ossa tamen inhærent, solidentur; quâ parte abrupta sunt, sine ullo tormento sub medicamentis tempore excidant, spatiumque inter hæc satis illis magnum ad extirrandam saniem relinquatur, plusque in osse propugnaculi cerebrum habeat, quam habiturum fuerit eo exciso.

His factis, ea membrana acri aceto respergenda est, ut sive aliquid sanguinis ex ea profluit, co-

hibeat ; sive intus concrētus crux remanet , di-
scutiatur. Tum idem medicamentum eodem modo
qui suprà positus est , mollitum , ipsi membranæ
imponendum est ; cæteraque eodem modo fa-
cienda sunt ; quæ ad linteolum illitum & lanam
succidam pertinent ; collocandusque is in loco
tepidio : & curandum quotidie vulnus ; bis etiam
æstate.

Quod si membrana per inflammationem intu-
muerit , infundenda erit rosa tepida : si usque cò
tumebit , ut super ossa quoque emineat , coërc-
bit eam bene trita lenticula , vel folia vitis con-
trita , & cum recenti vel butyro vel adipe anse-
rino mista ; cervixque molliri debebit liquido ce-
rato ex irino facto. At si parum pura membrana
videbitur , par modus ejus emplastro & melli
miscendus erit , idque supèr infundendum ; ejus-
que continendi cauſâ unum aut alterum linamen-
tum injiciendum , & supèr linteolo cui emplas-
trum illitum sit , contegendum. Ubi satis pura
membrana est , cādem ratione adjiciendum em-
plastro ceratum , ut carnem prodūcat.

Quod ad abstinentiam verò , & primos ulterio-
resque cibos potionesque pertinet , eadem quæ in
vulneribus præcépi , servanda sunt ; eò magis ,
quò periculosius hæc pars afficitur. Quinetiam ,
quum jam non solùm sustineri , sed ali his quo-
que oportebit , tamen erunt vitanda quæcumque
mandenda sunt ; item fumus & quidquid excitat
sternutamentum.

Spem verò certam faciunt membrana mobilis ac
sui coloris , caro increscens rubicunda , facilis

motus maxillæ atque cervicis. Mala signa sunt, membrana immobilis, nigra vel livida, vel aliter corrupti coloris; dementia, acris vomitus, nervorum vel resolutio vel distentio, caro livida, maxillarum rigor atque cervicis, cæteraque quæ ad somnum, cibi desiderium, febrem, putis co-lore attinent: eademque in cæteris vulneribus, vel salutaria vel mortifera sunt.

Ubi bene res cedit, incipit ab ipsâ membranâ; vel si os eo loco duplex est, inde quoque caro crescere; eaque id quod inter ossa vacuum est, replet: non numquam etiam super calvariam excrescit. Quod si incidet, inspergenda squama æris est, ut id reprimat cohbeatque, eaque carni superdanda quæ ad cicatricem perdūcant; omnibusque ea locis commodè inducitur, exceptâ frontis cæ parte, quæ paullum super id est quod inter supercilia est: ibi enim vix fieri potest, ut non per omnem ætatem sit exulceratio; quæ linteolo medicamentum habente contegenda sit. Illa utique capite fracto servanda sunt, ut, donec jam livida cicatrix erit, vitentur sol, ventus, frequens balneum, major vini modus.

SECT. IV. In naribus verò & os & cartilago frangi solet, & quidem modò adversa, modò a latere. Si adversa fracta sunt, alterumve ex his, nares desidunt, difficulter spiritus trahitur; si a latere os fractum est, is locus cavus est: si cartilago, in alteram partem nares declinantur.

Quidquid in cartagine incidit, excitandum leniter est, aut subiecto specillo, aut duobus digitis utrimque compressis: deinde in longitudinem

implicata linamenta , & molli pelliculâ cinctâ circumdataque , intus adjicienda sunt : aut eodem modo compositum aliquid ex arido penicillo : aut grandis pinna , gummi vel fabrili glutine illita , & molli pellicula circumdata , quæ desidere cartilaginem non sinat. Sed si adversa ea fracta est , æqualiter utraque naris implenda est : si a latere , crassius esse debet ab eâ parte in quam nasus jacet , ab alterâ tenuius , id quod inseritur. Extrinsecus autem circumdata habêna est mollis , media illita mistis inter se similâ & turris fuligine , eaque supra aures ducenda , & fronti duobus capitibus agglutinanda est : id enim corpori quasi gluten inhærescit , & quum induruit , nares commodè continet. Si quod intus inditum est , lædit , sicut maximè sit , ubi interior cartilâgo perfracta est , excitatæ nares eâdem tantum modò habénâ continendæ sunt ; deinde post quattuordecim dies id ipsum demendum est. Resolvitur autem aquâ calidâ , eaque tum is locus quotidie fôwendus est.

Sin os fractum est , id quoque digitis in suam sedem reponendum est : atque ubi adversum id iectum est , utraque naris implenda est ; ubi a latere , ea in quam os impulsum est ; imponendum que ceratum , & paullo vehementius deligandum est , quia callus eo loco non ad sanitatem tantum modò , sed etiam ad tumorem increscit. A tertio die fôwendum id aquâ calidâ est , tantisque magis , quanto propius esse sanitati debet. Quod si plura erunt fragmenta , nihilo minus extrinsecus singula in suas sedes digitis erunt compellenda , imponendâque extrinsecus eadem ha-

bêna , & super eam ceratum ; neque ultra fascia adhibenda est.

At si quod fragmentum undique resolutum , cum cæteris non glutinabitur , intelligetur id quidem ex humore qui multus ex vulnera feretur , volvellâ verò extrahetur : finitisque inflammationibus , imponetur aliquod medicamentum ex iis quæ leniter reprimunt . Pejus est , ubi aut ossi aut cartilagini fractæ , cutis quoque vulnus accessit . Id admodum raro fit : si incidit , illa quidem nihilo minus eadem ratione in suas sedes excitanda sunt : cuti verò superimponendum emplastrum aliquod ex his quæ recentibus vulneribus accommodata sunt ; sed insuper nullo vinculo diligandum est .

SECT. V. In aure quoque interdum rumpitur cartilago : quod si incidit , ante quam pus oriatur , imponendum glutinans medicamentum est ; sæpe enim suppurationem prohibet , & aurem confirmat . Illud & in hac , & in naribus ignorari non oportet ; non ipsam quidem cartilaginem glutinari , circa tamen carnem increscere , solidarique eum locum : itaque si cum cute cartilago rupta est , cutis utrimque suitur .

Nunc autem de eâ dico quæ , cute integrâ , frangitur . In eâ verò si jam pus natum est , aperienda alterâ parte cutis , & ipsa cartilago contrâ lunatâ plagâ excidenda est : deinde utendum est medicamento leniter sanguinem supprimente , quale lycium est aquâ dilutum , donec sanguis fluere desinat : tum imponendum linteolum cum emplastro sic , ut pingue omne vitetur ; & a parte posteriore lana mollis auri subjicienda est , quæ quod

est inter hanc & caput compleat : tum ea leniter deliganda est , & a tertio die vapore , ut in natribus posui , fovenda. Atque in his quoque generibus abstinentia primi temporis necessaria est , donec inflammatio finiatur.

SECT. VI. Ab his ad maxillam venturus indicanda quædam puto , communiter ad omnia ossa pertinentia , ne sæpius eadem dicenda sint.

Omne igitur os modò rectum , ut lignum , in longitudinem finditur , modò frangitur transversum , interdum obliquum : atque id ipsum non numquam retusa habet capita , non numquam acuta. Quod genus pessimum est , quia neque facile committuntur , quæ nulli retuso innituntur , & carnem vulnerant , interdum nervum quoque aut musculum. Quinetiam aliquando plura fragmenta fiunt ; sed in aliis quidem ossibus ex toto sæpe fragmentum a fragmento recedit ; maxillæ verò semper aliquâ parte fractâ etiam vexata ossa inter se cohærent.

Igitur in primis digitis duobus utrimque prementibus , & ab ore , & ab cute omnino ossa in suam sedem compellenda sunt : deinde , si transversa maxilla fracta est (sub quo casu ferè dens super proximum dentem excidit) ubi ea in suam sedem collocata est , duo proximi dentes , aut , si hi labant , ulteriores inter se setâ deligandi sunt. Id in alio genere fracturæ supervacuum est , cætera eadem facienda sunt : nam linteolum duplex madens vino & oleo superinjiciendum cum eâdem similâ & eâdem turris fuligine est : deinde aut fascia injicienda , aut mollis habêna mediâ in longitudinem

āncisa , ut utrumque mentum complectatur , & inde capita ejus supra caput adducta ibi deligentur.

Illud quoque ad omnia ossa pertinens dictum erit ; famem primum esse necessariam , deinde a die tertio humidum cibum , sublatâ inflammatione , paullò pleniorē , eumque qui carnem alat ; per omne tempus vinum esse alienum : deinde tertio die resolvi debēre , foverique per spongiam vapore aquæ calidæ , eademque quæ primo fuérunt , superdari : idem die quinto fieri , & donec inflammatione finiatur , quæ vel nono die vel septimo ferè resolvitur : cā sublatâ , rursus ossa esse tractanda , ut si quid fractum loco suo non est , reponatur : neque id esse solvendum , nisi duæ partes ejus temporis intra quod quæque ossa convervent , transierint.

Ferè verò intra quartum decimum & unum & vicesimum diem sanescunt , maxilla , malæ , jugulum , pectus , latum os scapularum , costæ , spina , coxarum os , os tali , calx , manus , planta : intra vicesimum & tricesimum diem crura , brachiaque : intra septimum & vicesimum & quadragesimum , humeri & femina.

Sed de maxillâ illud quoque adjiciendum est , quod humidus cibus diu assumendus est : arque etiam quum tempus processit , in lagano similibusque aliis perseverandum est , neque quidquam durius edendum , donec ex toto maxillam callus firmarit : item primis utique diebus habendum silentium.

SECT. VII. Jugulum verò si transversum fractum est , non numquam per se rursus rectè coit , & nisi

movetur, sanati sine vinclaturá potest; non numquam verò, maximè ubi motum est, elabitur; feréque id quod ab humero est sub id quod a pectore est, in posteriore partem inclinatur. Cujus ea ratio est, quòd per se non movetur, sed cum humeri motu consentit: itaque, eo subsistente, subinde humerus agitatur. Rarò verò admodum in priorem posterioremve partem jugulum inclinatur, adeò ut magni professores numquam se vi disse memoriae mandarint: sed locuples tamen ejus rei auctor Hippocrates est.

Verùm ut dissimilis uterque casus est, sic quædam dissimilia requirunt. Ubi ad scapulas jugulum tendit, simul dextrâ manu planâ placidè propellendus in posteriore partem humerus est, & illud in priorem attrahendum: ubi ad pectus conversum est, ipsum quidem retro dandum, humerus autem in priorem partem adducendus est: ac, si is inferior est, non id quod a pectore est, deprimendum est, quia immobile est, sed humerus ipse attollendus: sin autem superior est, id quod a pectore est, implendum lanâ, & humerus ad pectus deligandus est. Si acuta fragmenta sunt, incidi contrà cutis debet; & ex ossibus ea quæ carnem vulnerant, præcidenda sunt: tum retusa ossa committenda sunt. Si quod ab aliquâ parte eminet, opponendum ei triplex linteolum est, in vino & oleo tintum.

Si plura fragmenta sunt, excipienda sunt ex ferula facto canaliculo, eodemque intus incerato; ne fascia diducatur, quæ jugulo composito circumdata est sæpius potius quam valentiùs: quod

ipsum quoque in omnibus ossibus fractis perpetuum est. A dextro verò jugulo , si id fractum est , ad alam sinistram , a sinistro ad dexteram , rursusque sub alâ sanâ fascia dari debet. Post hæc si jugulum ad scapulas inclinatum est , brachium ad latus ; si in partem priorem , ad cervicem deligandum est , supinusque homo collocandus ; cæteraque eadem facienda , quæ suprà comprehensa sunt.

Sunt verò plura ossa ferè immobilia , vel dura , vel cartilaginea , quæ vel franguntur , vel forantur , vel colliduntur , vel finduntur , ut malæ , pectus , latum os scapularum , costæ , spina , coxarum os , os tali , calx , manus , planta : horum omnium eadem curatio est.

Si suprà vulnus est , id suis medicamentis nutritendum est : quo sanescente , rimas quoque ossis , aut si quod foramen est , callus implet. Si cutis integra est , & os læsum esse ex dolore colligimus , nihil aliud quâm quiescendum , imponendumque ceratum est , & leniter deligandum , donec saniate ossis dolor finiatur.

SECT. VIII. Quædam tamen & de costa dicenda sunt , quia juxta viscera sunt , gravioribusque periculis is locus expositus est.

Hæc quoque igitur interdum sic finditur , ut ne summum quidem os , sed interior pars ejus quæ rara est , lædatur : interdum sic , ut eam totam is casus perruperit. Si tota fracta non est , nec sanguis expuitur , nec febricula sequitur , nec quidquam suppurrat , nisi admodum raro , nec dolor magnus est ; tauctu tamen is locus leviter indolescit ; abunde est eadem quæ suprà scripta sunt ,

sunt, facere, & a mediâ fasciâ incipere deligare, ne in alterutram partem hæc cutem inclinet.

Ab uno verò & vicesimo die, quo utique os esse debet glutinatum, id agendum: cibis uberioribus est utendum, ut corpus quām plenissimum fiat, quod melius os vestiat quod illo loco tenerum adhuc injuriaæ sub tenui cute expositum est. Per omne autem tempus curationis vitandus clamor, stridor, sermo quoque, tumultus, ira, motus vehementior corporis, fumus, pulvis, & quidquid vel tussim vel sternutamentum movet; nec spiritum quidem magnopere continere expedit.

At si tota costa perfracta est, casus asperior est: nam & graves inflammationes, & febris, & suppuratio, & sæpe vitæ periculum sequitur, & sanguis exspuitur. Ergo, si vires patiuntur, ab eo brachio quod super eam costam est, sanguis mitendus est: si non patiuntur, alvus tantum sine ullo acri ducenda est, diutiusque inediâ pugnandum. Panis verò ante septimum diem non assumentus, sed unâ sorbitione vivendum, imponeundumque ei loco ceratum ex lino factum, cui cocta quoque resina adjecta sit, aut Polyarchi magma, aut panaces ex vino & rosâ & oleo, superque imponenda lana succida mollis, & duas fasciæ a mediis orsæ, minimèque adstrictæ. Multo verò magis omnia vitanda, quæ suprà posui, adeò ut ne spiritus quidem sæpius movendus sit.

Quod si tussis infestabit, ad id potio sumenda erit, vel ex trixagine, vel ex ruta, vel ex herba stœchade, vel ex cumíno & pipere. Gravioribus verò doloribus urgentibus, cataplasma impóni quoqua-

conveniet vel ex lolio , vel ex hordeo cui pinguis fici tertia pars sit adjecta : & id quidem interdiu superjacebit ; noctu verò idem , aut ceratum , aut malagma , aut panni , quia potest cataplasma decidere. Ergo alterno quoque die resolventur , donec jam cerato aut malagmate possimus esse contenti : & decem quidem diebus extenuabitur fame corpus , ab undecimo verò ali incipiet ; ideoque etiam laxior quā primō fascia circumligabitur ; feréque ea curatio ad quadragesimum diem perveniet.

Sub quā si metus non erit suppurationis , plus malagma quācerat ad digerendum proficiet. Si suppuratio vicerit , neque per quā suprà scripta sunt , discuti potuerit , omnis mora vitanda erit , ne os īfrā vitietur ; sed quā parte maximè tumebit , eò demittendum erit candens ferramentum , donec ad pus perveniat ; idque effundendum. Si nusquam caput se ostendit , ubi maximè pus subsit , sic intelligimus. Cretā cimoliā totum locum illiniemus , & siccari patiemur : quo loco maximè humor in ea perseverabit , ibi pus proximum erit , īisque urī debebit.

Si latius aliquid abscēdet , duobus aut tribus locis erit perforandum , demittendumque linamentum , aut aliquid ex penicillo quod sumnum lino sit devinctum , ut facilē educatur : reliqua eadem , quae in cæteris adustis , facienda sunt Ubi purum erit ulcus , ali corpus debebit , ne tabes , perniciosa futura , id malum subsequatur. Non numquam etiam leviū ipso osse affecto , & intermitia neglecto , non pus , sed humor quidam ,

muccis similis, intus coit, mollescitque contrà cutis: in qua simili unctione utendum est.

In spinâ quoque est quod propriè notemus. Nam si id quod ex vertebra excèdit, aliquo modo fractum est, locus quidem concavus fit; punctiones autem in eo sentiuntur, quia necesse est ea fragmenta spinosa esse: quo fit, ut homo in anterius partem subinde nitatur. Hæc noscenda rei cauſa sunt: medicamentis vero iisdem opus est, quæ primâ parte hujus capitî exposita sunt.

SECT. IX. Similes rursùs ex magnâ parte casus curationesque sunt humeris & femoribus: communia etiam quædam humeris, brachiis, femoribus, cruribus, digitis: si quidem ea minus periculose media franguntur.

Quo propior fractura capiti vel superiori vel inferiori est, eo pejor est: nam & majores dolores affert, & difficultius curatur. Earum maximè tolerabilis est simplex, eaque transversa; pejor, ubi fragmenta multa sunt atque obliqua; pessima ubi eadem acuta. Non numquam autem fracta in his ossa in suis sedibus remanent; multo sæpius excidunt, aliudque super aliud effertur: id quoque ante omnia considerari debet, & sunt notæ certæ. Si suis sedibus sunt, mota resonant, punctionisque sensum repræsentant; tactu inæqualia sunt. Si vero non adversa, sed obliqua junguntur, quod fit sæpe ubi loco suo non sunt, membrum id altero & latere brevius est, & musculi ejus tument.

Ergo si hoc deprehensum est, protinus id membrum oportet extendere: nam nervi musculique intenti per ossa contrahuntur, neque in suum lo-

cum veniunt , nisi illos per vim aliquis intenderit . Rursus , si primis diebus id omissum est , inflammatio oritur ; sub qua & difficilè & periculosè vis nervis adhibetur : nam distentio nervorum vel cancer sequitur , vel certè , ut mitissimè agatur , pus . Itaque si ante reposita ossa non sunt , post eam reponenda sunt .

Intendere autem digitum vel aliud quodque membrum , si adhuc tenerum est , etiam unus homo potest , quum alteram partem dextrâ , alteram sinistrâ prendit : valentius membrum duobus eget , qui in diversa contendant . Si firmiores nervi sunt , ut in viris robustis , maximèque eorum feminibus & cruribus evepit , habéniis quoque vel linteis fasciis utrimque capita articulorum diliganda , & per plures in diversa ducenda sunt . Ubi paullò longius quam naturaliter esse debet , membrum vis fecit ; tum demum ossa manibus in suam sedem compellenda sunt ; indiciumque ossis repositi est dolor sublatus . Et membrum alteri parti æquatum involvendum duplicitibus triplicibusve pannis in vino & oleo tintatis , quos lineos esse commodius est .

Ferè verò fasciis sex opus est . Prima brevissima adhibenda , quæ circa fracturam ter voluta sursum versum feratur , & quasi in cochleam serpat ; satisque est eam ter hoc quoque modo circuire . Altera dimidio longior est : si quâ parte os eminet ; ab ea , si totum æquale est , undeliber super fracturam incipere debet priori adversa , deorsumque tendere , atque iterum ad fracturam reversa in superiori parte ultra priorem fasciam desinere .

Super has injiciendum latiore linteo ceratum est, quod eas contineat; ac si quā parte os eminet, triplex è pannus subjiciendus, eodem vino & oleo madens. Hæc tertiat fasciā comprehendenda sunt quartāque sic, ut semper insequens priori adversa sit, & tercia tantum in inferiore parte, tres in superiore finiantur, quia satius est sèpius circuire, quā nimis adstringi; si quidem id quod nimis adstrictum est, alienatur, & cancro opportum est: articulum autem quā minime vincere opus est; sed si juxta hunc os fractum est, necesse est.

Deligatum verò membrum in diem tertium continendum est: eaque vinclatura talis esse debet, ut primo die nihil offenderit, non tamen laxa visa sit; secundo laxior, tertio jam pæne resoluta. Ergo tum rursum id membrum deligandum, adjiciendaque prioribus quinta fascia est; iterumque quinto die resolvendum est, & sex fasciis tum involvendum sic, ut tercia & quinta infrā, cæteræ suprà finiantur. Quotiescumque autem solvitur membrum, calidâ aquâ fovendum est: sed si juxta articulum fractura est, diu instillandum vinum est, exiguâ parte olei adjectâ, eademque omnia facienda donec adeò inflammatio solvatur, ut tenuius quoque quā ex consuetudine id membrum fiat. Quod si septimus dies non dedit, certè nonus exhibet: tum facillimè ossa tractantur.

Rursus ergò si parum commissa sunt, committi debent: si qua fragmenta eminent, in suas sedes reponenda sunt: deinde eodem modo membrum deligandum, ferulæque super accommodanda.

sunt, quæ fissæ circumpositæque ossa in suâ sede
contineant; &c, in quam partem fractura inclinat,
ab ea latior valentiorque ferula imponenda est.

Eas quoque omnes circa articulum esse oportet
resimas, ne hunc lædant, nec ultrà adstringi quam
ut ossa contineant: & quum spatio laxentur, tertio
quoque die paullum habénis suis coartari: ac si
nulla prurigo, si nullus dolor est, sic manere
donec duas partes ejus temporis quo os quodque
confervet, compleantur: postea leviùs aquâ calidâ
fovêre, quia primo digeri materiam opus est, tum
evocari. Ergo cerato quoque liquido id leniter est
ungendum, perfricandâque summa cutis est,
laxiusque id deligandum est. Tertio quoque die
solvendum sic, ut remotâ calidâ aquâ, cætera
eadem fiant: tantum modò singulæ fasciæ, quoties
resolutæ fuerint, subtrahantur.

1º. Hæc communia sunt, illa propria. Si quidem
humerus fractus non sic, ut membrum aliud, in-
tenditur; sed homo collocatur alto sedili, medi-
cus autem humiliore adversus. Una fascia bra-
chium amplexa ex cervice ipsius qui læsus est, id
sustineat; altera ab alterâ parte super cubitum data,
ibi accipit nodum: tertia vineto imo humero deor-
sum demittitur, ibi quoque capitibus ejus inter se
junctis. Deinde ab occipitio ipsius, minister sub eâ
fasciâ quam secundo loco posui, porrecto, si
dexter humerus ducendus est, dextro; si sinister,
sinistro brachio, demissum inter femina ejus qui
curatur, baculum tenet: medicus super eam fa-
sciâ de qua tertio loco dixi, plantam injicit
dextram, si sinister; sinistram si dexter humerus.

curatur ; simulque alteram fasciam minister attollit , alteram premit medicus : quo fit ut leniter humerus extendatur. Fasciis verò , si medium autimum os fractum est , brevioribus opus est ; si summum , longioribus , ut ab eo sub alterā quoque alà per pectus & scapulas porriganter.

Protinus verò brachium quum deligatur , sic inclinandum est id quod afficit , ut ante fascias quoque sic figuratum sit : ne postea suspensum aliter quam deligabatur , humerum inclinet : brachioque suspenso , ipse quoque humerus ad latus leniter deligandus est : per quæ fit ut minimè moveatur : ideoque ossa sic se habent , ut aliquis composituit. Quum ad ferulas ventum est , extrinsecus esse earum longissimæ debent , a lacerto breviores , sed sub alà brevissimæ. Sæpius eæ resolvendæ sunt , ubi in viciniâ cubiti humerus fractus est , ne ibi nervi rigescant , & inutile brachium efficiant. Quoties solvitæ sunt , fractura manu continenda , cubitus aquâ calidâ fovendus & molli cerato perficandus ; ferulæque vel omnino non imponendæ contra eminentiam cubiti , vel aliquanto breviores sint.

2º. At si brachium fractum est , in primis considerandum est , alterumne os an utrumque communitum sit : non quod alia in ejus modi casu curatio sit admovenda ; sed primum , ut valentiùs extendatur , si utrumque os fractum est ; quia necesse est minus nervos contrahi , altero osse integro eosque intendente : deinde , ut curiosius omnia in continendis ossibus fiant , si neutrum alteri auxilio est : nam ubi alterum integrum est , plus

opis in eo quam in fasciis ferulisque est. Deligari autem brachium debet paullum pollice ad pectus inclinato, si quidem is maximè brachii naturalis habitus est; idque involutum mitellā commodissimè excipitur, quæ latitudine ipsi brachio par, per angustis capitibus collo injicitur; atque ita commodè brachium ex cervice suspensum est: idque paullum supra cubiti alterius regionem pendere oportet.

Quod si ex summo cubito quid fractum sit, glutinare id vinciendo alienum est; fit enim brachium immobile: at si nihil aliud quam dolori occursum est, idem qui fuit, ejus usus est.

3°. In crure æquè ad rem pertinet, alterum saltem os integrum manere. Commune vero ei femorisque est quod, ubi deligatum est, in canalem coniiciendum est. Is canalis & ab inferiori parte foramina habeat, per quæ si quis humor excesserit, descendat; & a planta moram quæ simul & sustineat eam, & delabi non patiatur; & a lateribus cava per quæ, loris datis, mora quidem crus femurque, ut collocatum est, detineat. Esse etiam is debet a planta, si crus fractum est, circa poplitem; si femur, usque ad coxam sit juxta superiorius caput femoris sic, ut ipsa quoque coxa insit. Neque tamen ignorari oportet, si femur fractum est, fieri brevius, quia numquam in antiquum statum revertitur, summisque digitis postea cruris ejus insisti: ex quo multa femori debilitas est, ubi fortunæ negligentia quoque accessit.

4°. Digitum satis est ad unum funiculum post inflammationem deligari.

His proprie ad singula membra pertinentibus , rursus illa communia sunt. Primitus diebus fames ; deinde tum quum jam increscere callum oportet , liberalius alimentum ; longa a vino abstinentia , somentum aquæ calidæ , dum inflammatio est , liberale ; quum ea desiit , modicum : tum etiam longior ex liquido cerato exterioribus membris , & mollis tamen unctio. Neque protinus exercendum id membrum , sed ad antiquos usus paulatim & leniter reducendum est.

Gravius aliquanto est , quum ossis fracturæ carnis quoque vulnus accessit , maximèque , si id musculi femoris aut humeri senserunt ; nam & inflammationes multò graviores , & promptiores cancros habent.

Ac femur quidem , si ossa interse recesserunt , ferè præcidi necesse est : humerus verò quoque in periculum venit , sed faciliùs conservatur. Quibus periculis etiam magis id expositum , quod juxta ipsos articulos iustum est : curiosius igitur agendum est. Et musculus quidem per medianam plagam transversus præcidentus ; sanguis verò , si parum fluxit , mittendus : corpus inediā in decimum diem extenuandum. Ac reliqua quidem membra lentiùs intendenda , & lenius in his ossa in suam sedem reponenda sunt : his verò neque intendi nervos , neque ossa tractari satis expedit : ipsique homini permittendum est ut sic ea collata habeat , quemadmodum minimè laedunt.

Omnibus autem his vulneribus imponendum primò linamentum est vino madens , cui rosa paullum admodum adjectum sit : cætera eadem. Deliganda fasciis sunt aliquanto quam vulnus est

latioribus, laxius scilicet quam si ea plaga non esset: quantoque facilis & alienari & occupari cancro. vulnus potest, numero potius fasciarum id agendum est, ut laxae quoque æquè contineant.

Quod in femore humeroque sic fiet, si ossa forte recte concurrerint: sin aliter se habebunt, eatenus circumdari fascia debet, ut impositum medicamentum contineat. Cætera eadem quæ suprà scripsi, facienda sunt; præter quam quod neque ferulis neque canalibus, inter quæ vulnus sanescere non potest, sed pluribus tantum modò & latioribus fasciis opus est: ingerendum quoque subinde in eas est calidum oleum & vinum; magisque in principio: fame utendum vulnus calidâ aquâ vendum, frigusque omni ratione vitandum est; & transeundum ad medicamenta quæ puri movendo sunt: major quoque vulneris quam ossis cura agenda: ergo quotidie solvendum id nutriendumque est.

Inter quæ si quod parvulum fragmentum ossis eminet, id si retusum est, in suam sedem dandum; si acutum, antè acumen ejus, si longius est, præcidendum; si brevius, limandum & utrumque scalpro lævandum; tum ipsum recondendum est: ac si id manus facere non potest, volsella, qualifabri utuntur, injicienda est recte se habenti capiti ab ea parte quâ sîma est, ut eâ parte quâ gibba est, eminens os in suam sedem compellat. Si id majus est, membranulisque cingitur, sinere oportet eas sub medicamentis resolvi; idque os, ubi jam nudatum est, absindere; quod matruis scilicet faciendum est. Prodest quoque eâ ratione.

& os coire, & vulnus sanescere; illud suo tempore, hoc prout se habet.

Non numquam etiam in magno vulnera evenit, ut fragmenta quædam velut emoriantur, neque cum cæteris coëant: quod hîc quoque ex modo fluentis humoris colligitur; quo magis necessarium est sèpius ulcus resolvere atque nutrire. Sequitur verò, ut id os per se post aliquot dies excidat: ac quum jam misera antea conditio vulneris sit, tam id interdum majus latiusque facies.

Sæpe etiam, integrâ cute, os abrumpitur, protinusque prurigo & dolor oritur. Quæ solvere, si accidit, maturius oportet, & fovere aquâ per restatem frigidâ, per hiemen egelidâ; deinde ceratum myrtleum imponere.

Interdum fractura quibusdam velut aculeis carnem vexat; quo a prutigine & punctionibus cognito, aperire id melius, eosque aculeos præcide necesse habes. Reliqua verò curatio in utroque hoc casu eadem est quæ, ubi ictus plagan protinus intulit.

Puro jam ulcerare, cibis hîc quoque utendum est carnem producentibus. Si brevius adhuc membrum est, & ossa loco suo non sunt, paxillus tenuis & quam levissimi generis inter ea demitti debet sic, ut capite paullum supra ulcus emineat, isque quotidie plenior adigendus est, donec par id mem-brum alteri fiat: tum paxillus removendus, vulnusque sanandum est. Cicatrix inducta fovenda frigidâ aquâ est, in qua myrtus, edera, aliæve similes verbénæ decoctæ sint; illiniendumque medicamentum quod siccat, & magis etiam hîc quic-

scendum , donec id membrum confirmetur.

Si quando verò ossa non conferbuerunt , quia sàpe morta sunt , sàpe soluta , in aperto deinde curatio est ; possunt enim coire. Si vetustas occupavit , membrum extendendum est , ut aliquid lèdatur : ossa inter se manu dimovenda , ut concurrendo exasperentur , & ut si quid pingue est , eradatur , totumque id quasi recens fiat ; magnâ tamen curâ habitâ , ne nervi musculive lèdantur. Tum vino fovendum est , in quo malicorium decoctum sit , imponendumque id ipsum ovi albo mistum : tertio die resolvendum , fovendumque aquâ , in qua verbénæ de quibus suprà dixi , decoctæ sint : quinto die idem faciendum , ferulæque circumdandæ. Cætera & antè & pòst eadem facienda , quæ suprà scripsi.

Solent tamen interdum diversa inter se ossa confervere ; còque & brevius membrum & indecorum fit ; & si capita acutiora sunt , assidue punctiones sentiuntur : ob quam caussam frangi rursus ossa & dirimi debent. Id hoc modo fit. Càlidâ aquâ multâ membrum id fovetur , & ex cerato liquido perficitur intenditurque : & inter hæc medicus pertractans ossa , ut , adhuc tenero callo , manibus ea diducit , compellitque id quod eminet , in suam sedem ; & , si parum valuit , ab ea parte in quam os se inclinat , involutam lanâ regulam objicit : atque ita deligando assue-scere iterum vetustæ sedi cogit.

Non numquam autem rectè quidem ossa cohæserunt , superincrèvit verò nimius callus ; ideoque locus intumuit. Quod ubi incidit , diu leniterque

id membrum perficandum est ex oleo & sale & nitro , multumque aqua calida salsa foviendum , & imponendum malagma quod digerat, adstrictiusque alligandum : oleribus quoque & præterea vomitu utendum , per quæ cum carne callus quoque extenuatur. Confert quoque aliquid de sinapi cum fico in alterum par membrum impositum , donec id paullum erodat , eoque evocet materiam. Ubi his tumor extenuatus est , rursus ad ordinem vitæ revertendum est.

C A P U T S E C U N D U M.

Ac de fractis quidem ossibus haec tenus dictum sit. Moventur autem ea sedibus suis duobus modis : nam modò quæ juncta sunt inter se , dehiscunt , ut quum latum scapularum os ab jugulo recedit , & in brachio radius a cubito , & in crure tibia a surâ ; interdum e saltu , ut calcis os a talo ; quod raro tamen fit : modò articuli suis sedibus excidunt. Ante de posterioribus dicam.

SECT. I. Quorum ubi aliquid incidit , protinus is locus cavus est , depressoisque digitus sanguinem invenit : deinde gravis inflammatio oritur , atque in talis præcipue : si quidem febres quoque & cancros , & nervorum vel distensiones vel rigores qui caput scapulis annexuntur , movere consuevit : quorum vitandorum cauflâ facienda eadem sunt , quæ in ossibus mobilibus læsis. Ubi aliquid incidit , protinus his locis proposita sunt , ut dolor tumorque per ea tollantur : nam diducta hæc ossa numquam rursus inter se junguntur , & ut aliquid

decōris eo loco , sic nihil usus admittitur.

Maxilla verò & vertebræ omnesque articuli quum validis nervis comprehendantur , excidunt aut vi expulsi , aut aliquo casu nervis vel ruptis vel infirmatis : faciliusque in pueris & adolescentulis quam in robustioribus. Hi quoque elabuntur in priorem & in posteriorem , in interiorem & exteriorem partem ; quidam omnibus modis , quidam certis.

Sunt quoque quædam communia omnium signa ; quædam propria cuiusque ; si quidem semper eâ parte tumor est in quam os prorumpit , eâ sinus a qua recessit. Et hæc quidem in omnibus deprehenduntur , alia verò in singulis ; quæ , simul atque de quoque dicam , proponenda erunt.

Sed ut excidere omnes articuli possunt , sic non omnes reponuntur. Caput enim , ubi excidit , numquam compellitur , neque in spinâ vertebra ; neque ea maxilla quæ utrâque parte prolapsa , ante quam reponeretur , inflammationem movit : tursum qui nervorum vitio prolapsi sunt , compulsi quoque in suas sedes , iterum excidunt : at quibus in pueritiâ excidérunt , neque repositi sunt , minus quam cæteri crescunt : omniumque quæ loco suo non sunt , caro emacrescit , magisque in proximo membro quam in ulteriore ; utputa , si humerus loco suo non est , major in eo ipso fit macies quam in brachio ; major in hoc quam in manu. Tum pro sedibus & pro casibus qui incidérunt , aut major aut minor usus ejus membra relinquuntur ; quibque in eo plus usus supereft , eo minus inde extenuatur.

Quidquid autem loco suo motum est , ante in-

flammationem reponendum est : si illa occupavit , dum conquiescat , cessandum est : ubi finita est , tentandum est in his membris quæ id patiuntur. Multum autem eò confert & corporis & nervorum habitus : nam si corpus tenue , si humidum est , si nervi infirmi , expeditius os reponitur : sed & primò facilius excidit , & postea minus fideliter continetur. Quæ contraria his sunt , melius continent ; sed id quod expulsum est , difficulter admittunt.

Oportet autem ipsam inflammationem levare , super succidâ lanâ ex aceto impositâ : a cibo , si valentioris articuli casus est , triduo , interdum etiam quinque diebus abstinentre , bibere aquam calidam dum sitim finiat ; curiosiusque hæc facere , his ossibus motis quæ validis plenisque muscularis continentur ; si verò etiam febris accessit , multò magis : deinde die quinto fovere ex aquâ calidâ ; remotâque lanâ , ceratum imponere ex cyprino factum , nitro quoque adjecto , donec omnis inflammatio finiatur. Tunc infriktionem ei membro adhibere : cibis uti bonis , uti vino modicè ; jamque ad usus quoque suos id membrum promovere : quia motus ut in dolore pestifer , sic aliâs saluberrimus corpori est.

Hæc communia sunt , nunc de singulis dicam.

SECT. II. 1º. Maxilla in priorem partem propellitur ; sed modò alterâ parte , modò utrâque. Si alterâ , in contrariam partem ipsa mentumque inclinatur ; dentes paribus non respondent , sed sub his qui secant , canini sunt : at si utrâque , totum mentum in exteriorem partem promovetur , infe-

rioresque dentes longius quam superiores excidunt, intentaque super musculi apparent.

Primo quoque tempore homo in sedili collocandus est sic, ut minister a posteriore parte caput ejus contineat; vel sic ut juxta parietem is sedeat, subiecto inter parietem & caput ejus scordeo pulvino duro, eoque caput per ministrum urgeatur, quod sit immobilius. Tum medici digiti pollices linteolis vel fasciis, ne dilabantur, involuti, in os ejus conjiciendi; ceteri extrinsecus admovendi sunt. Ubi vehementer maxilla apprehensa est, si unâ parte procidit, concutiendum mentum, & ad guttur adducendum est: tunc simul & caput apprehendendum, &c, excitato mento, maxilla in suam sedem compellenda, & os ejus comprehendendum est sic, ut omnia pene uno momento fiant. Sin utraque parte prolapsa est, eadem omnia facienda; sed æqualiter retrò maxilla agenda est.

Reposito osse, si cum dolore oculorum & cervicis iste casus incidit, ex brachio sanguis mittendus est. Quum omnibus verò quorum ossa mota sunt, primò liquidior cibus conveniat, tum his præcipue; adeò ut sermo quoque frequenti motu oris nervos lædat.

2°. Caput, duobus processibus in duos sinus summæ vertebræ demissis, super cervicem contineri in primâ parte hujus voluminis proposui. Hi processus interdum in posteriorem partem excidunt: quo fit, ut nervi sub occipitio ne extendantur, mentum pectori agglutinetur, neque bibere is, neque loqui possit, interdum sine voluntate semen emittat; quibus celerrimè mors supervenit. Ponendum autem

hoc esse credidi , non quo curatio ejus rei nulla sit ;
sed ut res indiciis cognosceretur , & non puta-
rent sibi medicum defuisse , si qui sic aliquem per-
didissent.

3° . Idem casus manet eos quorum in spinâ verte-
bræ excidérunt : id enim non potest fieri , nisi &
medullâ quæ per medium , & duabus membra-
nulis quæ per duos a lateribus proceſſus feruntur ,
& nervis qui continent , ruptis.

Excidunt autem et & in posteriorem partem , &
in priorem , & supra septum transversum , &
infra : sed in utramvis partem exciderint , a poste-
riore parte vel tumor vel sinus oritur : si super
septum id incidit , manus resolvuntur , vomitus
aut distentio nervorum insequitur , spiritus diffi-
cultur movertur , dolor urget , & aures obtusæ
sunt : si sub septo , femina resolvuntur , urina
supprimitur , interdum etiam sine voluntate pro-
rumpit . Ex ejus modi casibus , ut tardius quam
ex capitib , sic tamen intra triduum homo mo-
ritur .

Nam quod Hippocrates dixit , vertebrâ in ex-
teriorum partem prolapsâ primum hominem collo-
candum esse & extendendum , tum calce ali-
quem super ipsum debere subsistere , eamque intus
impellere ; in his accipiendum est quæ paullum
excesserunt , non in his quæ toto loco motæ sunt .

Non numquam enim nervorum imbecillitas effi-
cit , ut , quamvis non exciderit vertebra , paullum
tamen in priorem partem promineat : id non jugulat
quidem , sed ab interiori parte non contingit pro-
pelli posse : ab exteriore si quid propulsum est , ple-

rumque iterum reddit; nisi, quod admodum rarum est, vis nervis restituta est.

4°. Humerus autem modò in alam excidit, modò in partem priorem. Si in alam delapsus est, ei junctus cubitus recèdit ab latere, sursumque juxta ejusdem partis aurem cum humero porrigi non potest, longiusque altero id brachium est: si in priorem partem, summum quidem brachium extenditur, minus tamen quam naturaliter; difficultiusque in priorem partem quam in posteriorem cubitus porrigitur.

Igitur si in alam humerus excidit, & vel puerile adhuc est corpus, vel molle certè & imbecilibus nervis intentum est, satis est collocare id in sedili, & ex duobus ministris alteri imperare, ut caput lati scapularum ossis leniter reducat, alteri ut brachium extendat; ipsum posteriore parte residentem humerum genu sub alâ ejus cogere, simulque & ille latum os, & alterâ manu brachium ejus ad latus impellere.

At si vastius corpus nervive robustiores sunt, necessaria est spathula lignea, quæ & crassitudinem duorum digitorum habeat, & longitudine ab ala ad digitos perveniat; in quâ summâ capitulum est rotundum & leniter cavum, ut recipere particulam aliquam ex capite humeri possit. In cæbina foramina tribus locis sunt inter se spatio distantibus, inque ea lora mollia conjiciuntur. Ea spatha, fasciâ involuta quo minus tactu laedat, ad alam a brachio dirigitur sic, ut caput ejus summæ alæ subjiciatur: deinde loris suis ad brachium delegatur; uno loco paullum infra humeri

caput, altero paullum supra cubitum, tertio supra manum: cui rei protinus intervalla quoque foraminum aptata sunt. Sic brachium deligatum super scalæ gallinariæ gradum trajicitur ita altæ, ut consistere homo ipse non possit; simulque in alteram partem corpus demittitur, in alteram brachium intenditur; eoque sit ut capite ligni caput humeri impulsum in suam sedem, modò cum sono, modò sine hoc, compellatur.

Multas esse alias rationes scire facile est, uno Hippocrate lecto; sed non alia magis usu comprobata est.

At si in priorem partem humerus excidit, spinus homo collocandus est, fasciâque aut habenâ media ala circumdanda est, capitâque ejus post caput hominis ministro alteri tradenda, brachium alteri; præcipiendumque, ut ille habenam, hic brachium extendat. Deinde, medicus caput quidem humeri sinistrâ debet repellere, dextrâ verò cubitum cum humero attollere, & os in suam sedem compellere; faciliusque id in hoc casu, quam in priore revertitur.

Reposito humero, lana alâ subjicienda est; si in interiore parte os fuit, ut ei opponatur; si in priore, ut tamen commodiùs deligeretur. Tum fascia primùm sub alâ obvoluta caput ejus humeri deber comprehendere, deinde profecta ad alteram alam, ab eaque ad scapulas, rursusque ad ejusdem humeri caput tendere, sèpiusque ad eamdem rationem circumagi, donec bene id teneat. Vinctus hac ratione humerus commodiùs continetur; si adductus ad latus est, id quoque fasciâ deligeretur.

5°. In cubito autem tria coire ossa , humeri , & radii , & cubiti ipsius , ex his quæ primâ parte hujus voluminis posita sunt , intelligi potuit.

Si cubitus qui annexus humero est , ab hoc excidit , radius qui adjunctus est , interdum distractitur , interdum subsistit. In omnes verò quattuor partes excidere cubitus potest ; sed , si in priorem prolapsus est , extetum brachium est , neque recurvatur ; si in posteriorem , brachium curvum est , neque extenditur , breviusque altero est ; interdum febrem vomitumque bilis movere : si in exteriorem interioreme brachium porrectum est , paullum in eam partem a qua os recessit , recurvatur.

Quidquid incidit , reponendi ratio una est : neque in cubito tantum est , sed in omnibus quoque membris longis , quæ per articulum longâ testâ junguntur. Utrumque membrum in diversas partes oportet extendere , donec spatium inter ossa liberum sit ; tum id os quod excidit , ab ea parte in quam prolapsum est , in contrariam impellere. Extendendi tamen alia atque alia genera sunt , prout nervi valent , aut ossa huc illucve ceciderunt : ac modò manibus solis utendum est , modò quadam alia adhibenda.

Ergo si in priorem partem cubitus prolapsus est , extendi per duas manus , interdum etiam habéni injectis , satis est : deinde rotundum aliquid a la certi parte ponendum est , & super id repente cubitus ad humerum impellendus est. At in aliis casibus commodissimum est cādem ratione brachium extendere , quæ fracto humero suprà po-

sita est , & tum ossa reponere. Reliqua curatio eadem est , quæ in omnibus : celerius tamen & sæpius id resolvendum est , multoque magis aquâ calidâ fovendum , & diutius ex oleo & nitro ac sale perficandum. In cubito enim celerius quam in ullo alio articulo , sive extrâ remansit , sive intus revertit , callus circumdatur , isque si per quietem increvit , flexus illius postea prohibet.

6º. Manus quoque in omnes quattuor partes prolabitur. Si in posteriorem partem excidit , porrigi digiti non possunt ; si in priorem , non inclinatur ; si in alterutrum latus , manus in contrarium , id est , aut ad pollicem , aut ad minimum digitum convertitur.

Reponi non difficillimè potest. Super durum locum & renitentem ex alterâ parte intendi manus , ex alterâ brachium debet sic , ut prona sit , si in posteriorem partem os excidit ; supina , si in priorem ; si in interiorem exterioremve , in latus. Ubi satis nervi diducti sunt , si in alterutrum latus procidit , manibus , ut & brachium , in contrarium repellendum est. At his quæ in priorem posterioreve partem prolapsa sunt , super imponendum durum aliquid , idque suprà prominens os manu urgendum est , per quod vis adjecta os facilius in suam sedem compellit.

7º. In palma quoque ossa interdum suis sedibus promoventur , modò in priorem partem , modò in posteriorem ; in latus enim moveri , paribus ossibus oppositis , non possunt. Signum id solum est , quod omnium commune est ; tumor ab eâ parte in quam os venit ; sinus ab ea a quâ recessit :

sed sine intentione digito tantum modo bene pressum os , in suam sedem revertitur.

8°. At in digitis totidem ferè casus , eademque signa sunt quæ in manibus : sed in his extendendis non æque vi opus est , quum & articuli breviores , & nervi minus validi sint. Super mensam tantummodo intendi debent , qui vel in priorem , vel in posteriorem partem exciderunt ; tum jam palma compelli : at id quod in latus elapsum est , digitis medici restitui.

9°. Quum de his dixerim , de iis quoque quæ in cruribus sunt , videri possum dixisse : si quidem etiam in hoc casu quædam similitudo est femori & humero , tibiæ & cubito , pedi & manui. Quædam tamen separatim quoque de his dicenda sunt.

Femur in omnes quattuor partes promovetur , sæpiissime in interiore , deinde in exteriorem , rarer admodum in priorem aut posteriorem. Si in interiore partem prolapsum est , crus longius altero & valgus est ; extrà enim pes ultimus spectat : si in exteriorem , brevius varumque fit , & pes intus inclinatur ; calx ingressu terram non contingit , sed planta ima ; meliusque id crus superius corpus quam in priore casu fert , minusque baculo eget. Si in priorem , crus extensum est , implicarique non potest , alteri cruri ad calcem par est : sed ima planta minus in priorem partem inclinatur , dolorque in hoc casu præcipuus est , & maximè urina supprimitur. Ubi cum dolore inflammatio quievit , commode ingrediuntur , rectusque eorum pes est. Si in posteriorem , extendi non

potest cūs, breviusque est ubi constitut, calx
quoque terram non contingit.

Magnum autem femori periculum est, ne vel
difficulter reponatur, vel repositum rursus excidat.
Quidam semper iterum excidere contendunt, sed
Hippocrates & Diocles, & Philotimus, & Nileus,
& Heraclides Tarentinus, clari admodum auctores,
ex toto se restituisse memoriae prodidérunt: neque
tot genera machinamentorum ad extendendum in
hoc casu femur, Hippocrates, Andréas, Nileus,
Nyphodorus, Protarchus, Heraclides, reperi-
sent, si id frustra esset. Sed ut hæc falsa opinio
est, sic illud verum est: quum ibi valentissimi
nervi muscularique sint, si suum robur habent,
vix admittere ut reponatur; si non habent, repo-
situm non continere.

Tentandum igitur est, & si tenerum membrum
est, satis est habēnam alteram ab inguine, alte-
ram a genu intendi: si validius, melius adducent
qui easdem habénas ad valida bacula deligant;
quumque eorum fustium imas partes oppositæ moræ
objecerint, superioresque ad se utrâque manu tra-
ixerint. Etiamnaum valentius intenditur membrum
super scannum, cui ab utrâque parte axes sunt
ad quos habénæ illæ deligantur, qui ut in torcu-
laribus conversi, rumpere quoque, si quis perse-
veraverit, non solùm extendere nervos, sed & mus-
culos possunt.

Collocandus autem homo super id scannum est,
aut pronus, aut supinus, aut in latus sic, ut
semper ea pars superior sit in quam os prolapsum
est, ea etiam inferior, a quâ recessit. Nervis ex-

tensis, si in priorem partem os vénit, rotundum aliquid super inguen ponendum, subitoque super id genu adducendum est eodem modo, eademque de caussâ quâ idem in brachio fit; protinusque, si complicati femur potest, intus est.

In cæteris verò casibus, ubi ossa per vim paulum inter se recesserunt, medicus debet id quod eminet, retro cogere, minister contrà inde coxam sanam propellere. Reposito osse, nihil aliud novi curatio requirit, quam ut diutius is in lecto detineatur, ne si motum adhuc nervis laxioribus femur fuerit, rursus erumpat.

10°. Genu verò & in exteriorem, & in interiorem, & in posteriorem partem excidere notissimum est: in priorem non prolabi plerique scripsérunt; potestque id vero proximum esse, quum inde opposita patella, ipsa quoque caput tibiae contineat. Meges tamen eum cui id in priorem partem excidisset, a se curatum esse memoriae prodidit.

In his casibus intendi nervi rationibus iisdem quas in femore retuli, possunt. Et id quidem quod in posteriorem partem excidit, eodem modo, rotundo aliquo super poplitem imposito, adductoque eo crure, reconditur. Cætera verò manibus simul, dum ossa in diversas partes compelluntur.

11°. Talus in omnes quattuor partes prolabitur. Ubi in interiorem partem excidit, ima pars pedis in exteriorem partem convertitur; ubi huic contrarius casus, contrarium etiam signum exstat: si in priorem partem erumpit, a posteriore latus nervus durus & intentus est, simusque is pes est:

si

si in posteriore , calx pæne conditur , plantæ major fit.

Reponitur autem is quoque per manus , prius in diversa pede & crure diductis . Et in hoc quoque casu diutius in lectulo perseverandum est , ne is talus qui totum corpus sustinet , parum confirmatis nervis , ferendo oneri cedat , rursusque prorumpat . Calceamentis quoque humilioribus primo tempore utendum , ne vincitura talum ipsum laedat .

12°. Plantæ ossa iisdem modis quibus in manu , prodeunt , iisdemque reconduntur . Fascia tantum modò calcem quoque debet comprehendere , ne quem medium plantam imumque ejus vinciti necesse est , liber talus in medio relictus , materiam pleniorē recipiat , ideoque suppūret .

13°. In digitis nihil ultrà fieri debet quam quod in his qui sunt in manu , positum est : potest rāmen conditus articulus medius aut summus canaliculo aliquo contineri .

Hæc facienda sunt in his casibus , ubi sine vulnere ossa excidérunt . Hic quoque & ingens periculum est ; & eò gravius , quò majus membrum est , quóve validioribus nervis aut musculis continetur . Ideoque ab humeris femoribusque metus mortis est : at si reposita ossa sunt , spes nulla est ; non repositis autem , non nullum periculum est : eoque major in utroque timor est , quò proprius vulnus articulo est .

Hippocrates nihil tutò reponi posse , præter digitos & plantas & manus , dixit ; atque in his quoque diligenter esse agendum , ne præcipiten-

tur ægri. Quidam brachia quoque & crura re-
posuerunt ; & ne cancri distentionesque nervo-
rum orientur , sub quibus in ejus modi casu
fieret mors matura , sanguinem ex brachio mi-
serunt. Verum ne digitus quidem , in quo mini-
mum ut malum sic etiam periculum est , reponi
debet , nisi aut ante inflammationem aut post eam
quum jam vetus res est. Si reposito quoque össe ,
nervi distenduntur , rursus id protinus expellen-
dum est.

14°. Omne autem membrum quod cum vulnera
loco motum , neque repositum est , sic jacere
convenit , ut maximè cubantem juvat : tantum
ne moveatur , neve dependeat. In omni quoque tali
morbo magnum ex longa fame præsidium est :
deinde ex curatione eadem quæ proposita est , ubi
ossibus fractis vulnus accessit. Si nudum os emi-
net , impedimento semper futurum est : ideo
quod excedit , abscindendum est , imponenda
que super arida linamenta sunt , & medicamenta
non pinguia ; donec quæ sola esse in ejus modi
re sanitas potest , veniat : nam & debilitas sequi-
tur , & tenuis cicatrix inducitur , quæ necesse
est facilè noxæ postea pateat.

F I N I S,